

mysterium sanctissimum flagitat, non *nudam conjunctionem Majestatis*, quae cum natura divina realiter unum idemque est, ad humanam Naturam, sed *infinite etiam illius Majestatis ad hanc collationem, effusionem & largitionem*, ad communem *usurpationem & fruitionem* per exercitium Omnipotentiae, Omnipraesentiae, Cultus & aliorum: & videbit ipso experimento, utrum illa *deglutire*, ut loquitur, seu *consentire* animum induxerint, vel minus. Haec vero esse momenta gravissima fidei, a quibus recedere nobis ne latum unguem licet, omnes, quotquot numeravit Ecclesia nostra Doctores sinceros, unanimiter profitentur. Ad solam vero *conjunctionem & confusionem communicationis & unionis* ea reducere velle, est negotium mali auspicii & infelicissimi eventus.

§. XIII. Caeterum VII. adhuc notamus, Autorem alloqui, pro sua ingenii facilitate, procul dubio animadvertisse, *argumentum satis grave* esse, & non unum, quo hic Reformatos ad veritatem agnoscendam urgere possimus. Nam cum hypostasis, natura divina, & idiomata divina ratione rei unum idemque sint, ac non, nisi ratione, distinguantur; unita vero hypostasi, esse etiam unitam divinam naturam humanae naturae assumptae, simul cum idiomatibus divinis, largiri Reformati necesse habeant: aut jam tenentur docere *unionem* aliquam non *personalem, veram ac realem*, utpote quae nullum plane habeat effectum, aut consentire nobiscum, *quod prodeat ex unione praecedanea*, hypostaseos, naturarum & idiomatum, tum *communio*, tum *actualis, realis & vera communicatio*, instar alicujus effectus. Cum enim talis effectus prodeat ex *unione tum partium essentialium* in homine, tum *accidentis in ferro*, in qua tamen unione, ut illic temporaria, ita hic plenaria datur dissolutio: Multo magis, imo infinites magis necesse est, *talem effectum κοινωνικόν & communicativum* seu *participativum* atque *collativum*, ex *unione personali* duarum naturarum in Christo, tanquam eminentissima, realissima & bonis do-

do-